



47

RECTOR
ACADEMIÆ WITTENBERGENSIS,
THEODORUS
DASSOVIUS,
POESEOS PROFESSOR PU-
BLICUS ORDINARIUS, ET LL.
OO. EXTRAORDINARIUS,
CIVIBUS ACADEMICIS

S. P. D.

31



VANTUM NOBIS PROFUIT
FABULA DE CHRISTO! impro-
bissima vox quidem, sed ex autoris sensu
eventuq; vera dicitur, Pontificis Leonis
X. commemorante Paullo Jovio. SER-
VORUM SERVI, sub humilitatis sche-
mate; colore sanctitatis PETRI SUCCESSORES, sci-
licet; auctoritatis specie VICARII OMNIPOTENTIS
CHRISTI; ex clavigeris armigeri, magistri Principum,
nec non Tyranni, temporis successu redditi, huc sœpè
impulerunt Reges, ut Judæos, Scythes, hominumq;ve
purgamenta, qvam addictos Protestantium religioni,
tolerare mallen-. Quid enim, per Deum immorta-
lem, illa sibi plus qvam barbarica innocentissimorum
(ne de Regnis aliis & regionibus dicamus,) nuper qui-
dem incolarum, hominum per Gallias, Allobrogum
confinia & Pedemontanos saltus, oppidò miserrimo-
rum persecutio, ejectio, & propter excarnificandi
mille modos, agitata rabies designat aliud, qvam aper-
tam robustamq; contrà fidei purioris confessores
conjunctionem? Talia fatale imperandi nomen Roma, &
Romana Curia molitur; parturitq; molimenta nova
non obscurè amplius in Anglia, Scotia, Hibernia; tri-
umphos publicat de victis penitus inermibus; fulmi-
natrices machinas ostentat, ludos instruit festosq;ue
dies Roma cum Lutetia Parisiorum; nisi Deus interve-
niat ex abdito, non mitiorem in Alsatiā Argentora-
tumq; nobile cufura fabam. O reviviscant in Augustis
Caro-

Caroli, Henrici, Othones, Friderici Magni, Maximiliani, minimè passuri, ut Imperium exhauriatur superstitione & tyrannide sacratâ. Qvæ hæc enimverò est Religio? extollere se super omnia, divina & humana; Reges Principesque anathemate ferire; percussores ac ficarios emittere in eosdem, teste Franciâ; dominium in universum affectare orbem; dispensare in flagitiosis casibus adversus Numinis oracula immota; tempora dinitus per Cæsares statuta pro arbitrio mutare; subditos absolvere à sacramento fidei, Principibus juratæ; lupanaria fovere, nundinationes in crimibus patratis indulgere; soli Deo debitam devotionem miseris, confectis & confictis exhibere, divis; potestate seculi eximere cohortem rasam; instituere asyla pro facinorosis reis; interdicere conjugium religiosis, in antiquissimæ felicitatis statu, & auspicio cœlesti ordinatum, lege pariter Naturæ imperatum; partiri inter Reges orbem, profiteri nesciam erroris conscientiam; armatâ manu cogere ad superstitiones ritus homines; & quis enumeret innumera? Quæ porrò hæc humilitas & mansuetudo? Majestatem super & cœlestia, & terrena, & inferna sibi arrogare; triplici coronâ insolescere; blasphemiam committere in Papam venerabilem; fulgere purpurâ in sellâ plus quam Regia, pedumque oscula requirere; à purpuratis Patribus religiose coli & à plebe adorari velle? Si per summa tantum capita ultrius iremus, & (quæ paradoxa post Stapletonum, Bozium, Carerium, Prieriam, Singletonum, Montesperato, Mazaronium, Paschalium, Saussayum, Peregrinum, Rossæum, Serarium, Theophilus Raynaudus in corona triplici, Philippus Allegambe, Bobadilla, similisque furfuris Scriptores

pro

pro idoli Romanensis eminentiâ , prolixis partim
voluminibus afferre non erubuerunt ;) plures i-
stiusmodi excerpteremus flores, dies nos & char-
tæ hæc deficeret augustia . Hi nempe fructus
illi sunt, cum superat Heroës nimius religiosæ su-
perstitionis amor, ut vim Majestatis in hoc genus
dispensare supersedeant. Inverso potius agen-
dum ordine ; adversus maleferiatum, ventri dedi-
tum abundantemque bonis universis, sed nequiti-
osâ paupertate gregem sordidum auctoritas di-
vinitus concessâ exercenda ; caput ipsum, quod
innumerabile examen stupet, veneratur, & pro
Numine visibili agnoscit, laudatissimorum Cæsa-
rum exemplo, adigendum ad obsequiosas artes ;
ut dediscat nimiam imaginariæ *ὑπερέξοχῆς* opinio-
nem. Instituto sanè prudentissimo incubuit,
in id Nobilissimus & ex antiquâ gente, in-
ter necessarios Magnificos præcipuâ vehendus
laude Juvenis , *Goedel Paul Bornfeldt /*
*Patricius Lübecensis, dum de Potestate Impe-
ratorum circa electionem & subjectionem,*
pariter Pontificis Romani , gravibus stipi-
tum rationibus & monumentis argumentum,
quod selegit nuper, operâ non subitariâ elabora-
vit domi suæ , hodieque pomeridianis sacris ab-
solutis in Acroaterio Majori ceremoniâ solenni re-
citare statuit. Vestrum, CIVES ACADEMI-
CI, in auscultando honorificum officium exspe-
ctat ; Nos, ut freqventissimo appareatis nume-
ro, vestrumque illi studium probetis, maximope-
rè censemus. P. P. Dominica V. post TRINITAT.
Anno salutis per Christum reparatæ
CIC 150 XXCVI.



RECTOR
ACADEMIÆ WITTENBERGENSIS,
THEODOR
DASSOVI
POESEOS PROFES
BLICUS ORDINARIU
OO. EXTRAORDINA
CIVIBUS ACADEM

S. P. D.

